



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 11. Quale debeat esse propositum ad valorem, & effectum
Sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

(sid enim est de ratione essentiali Sacramenti,) sed de existentia gratiæ iudicare non potest, qui ignorat, dispositionem requisitam existere ad mortaliū, etiam obliuionem, remissionem: igitur in omniū sententia per confessionem debet aliquo modo fieri sensibilis talis dispositio, seu dolor, prout ad obliuionem terminatur. Dices, non esse de ratione Sacramenti, quod ita faciat sensibilem gratiam, ut ejus existentia affirmari possit. Sed cur tūc, idem non asseris de confessione respectu doloris, quia non est potior ratio unius, quam alterius.

5. Rogabis, quanto tempore post confessionem possit subsequi dolor, quin deficiat conjunctio moralis ad unionem Sacramenti requisita? Responsio quidem difficilis est, & in quæ eodem modo philosophatur Hurtado supra, ac quando dolor confessionem præcedit. Ego verò ex principis quæstione præcedenti jactis respondeo, sufficere ad moralem conjunctionem, quod ex memoria præhabita confessionis peccatorum, excutitur pœnitens ed eorum dolorem; dummodo alias confessarius eam peccatorum notitiam retineat, quæ paulò post audita peccata, de statu conscientie pœnitentis remanere, solet. Ut diximus disp. 4. quæst. 1. Unde communiter loquendo minor distantia sufficit ad impediendum licitum usum absolutionis, quando confessio præcedit dolorem, ac e contra, quando dolor confessionem. Quia in primo casu, potest confessarius omnino obliuio esse de peccatis, secus in secundo, cum statim post confessionem absoluat.

QVÆSTIO XI.

Quale debeat esse propositum ad valorem, & effectum Sacramenti?

1. Circa propositum non peccandi de cetero, est difficultas. An sufficiat virtuale, illud nimirum, quod in dolore de peccatis commissis includitur? An requiratur formale, & expressum? Prima sententia affertur, ad valorem Sacramenti nullum propositum requiri. Ita aliqui apud Suarez disp. 20. sect. 4. nu. 32. & ex D. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 1. ad primū tradit Thom. Hurtado tom. 2. var. resol. mor. tract. ult. n. 501. D. Thomæ verba sunt, Confessio non definit esse sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat. Quem sequutus est Sylvest. verb. Confess. 1. q. 22. ibi: Si non dolet de præterito, & de futuro cavere non vult, &c. est verum sacramentum.

2. Alii vero è regione oppositi, ad valorem, propositum formale, & expressum requirunt. Ita Alen. is, quem sequuntur Medina, & Codice de confessione, quæst. de facta steranda, & Toletus lib. 3. Sum. cap. 4. §. quinta pars est. Et quod ad effectum Sacramenti requiratur, asserunt Bellarm. Canus, & Sotus apud Dianam 3. p. tract. 4. resol. 119.

3. Tertia sententia tenet, propositum saltem virtuale, nempe inclusum in detestatione efficaci peccati commissi, ad valorem Sacramenti requiri. Ita Suarez supra num. 33. Filliuc. num. 159. Villalobos tom. 1. tract. 9. diff. 19. num. 8. Sylvius in additionibus ad 3. p. quæst. 1. addunt vero hi Doctores per se loquendo, necessarium esse propositum formale, quia vera pœnitentia sine tali proposito non reperitur, ut tradere videretur D. Thomas 3. p. quæst. 9. art. 4. Ac proinde si

pœnitens sciens tale propositum non habere, velle recipere absolutionem, peccaret mortaliter, & consequenter faceret irritam confessionem. Secundo probat Suarez à posteriori, nam qui cognoscit, se non habere propositum formale, & tamen non vult elicere, signum est, nec virtuale propositum habere; nam hoc habito, facile ei foret, habere formale, & expressum. Subjungit tamen, quod si quis non adverteret ad formale propositum, sed ita omitteret, ut in ejus omissione non peccaret, futurum Sacramentum validum ratione propositi virtualis in dolore inclusum verò gratiam habitualement recipere non determinant hi Authores.

4. Quarta, & vera sententia tradit, tam ad valorem, quam ad effectum Sacramenti sufficere propositum virtuale, in dolore inclusum, dummodo talis sit dolor, ut saltem implicite extendatur ad omnia mortalia, etiam si pœnitens unum tantum commiserit. Ita sentit Coninch disp. 4. de Pœnit. dub. 5. & adduci potest Gran. in 3. p. controver. 7. tract. 10. disp. 3. sect. 1. nu. 6. Et magis explicatam videtur amplecti Lugo hic disp. 14. sect. 5. Et mihi videtur magis conformis Tridentino, si semel supponatur, dolorem de peccatis præteritis separari posse à proposito formali, & expresso in eo, qui de futuris cogitat; quod supponunt Doctores tertie sententiæ, & negat Vazquez hic ar. 2. dub. 4. Probat, quia Tridentinum sess. 14. doctrinaliter agens de dispositione ad effectum hujus Sacramenti requisita, definit, attritionem, si voluntatem peccandi excludat, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere: sed absque proposito formali, & expresso, ut ponimus, potest dari attritio, quæ voluntatem peccandi excludat; ergo tale propositum, nec ad Sacramenti valorem, neque ad ejus effectum requiritur: sed sufficit virtuale in attritione contentum; quia eo ipso, quod attritio talis sit, ut peccandi voluntatem excludat, impossibilis est cum illa, & consequenter est virtualis voluntas non peccandi, ut bene tradunt Suarez supra sect. 2. n. 3. & Filliucius n. 159.

1. Rogabis, quæ detestatio peccati, seu dolor, talis erit, ut ad omnia peccata mortalia, non solum præterita, sed futura etiam extendatur? Card. Lugo acutè, ut assolet, sic ex explicat. Duplex potest esse motivum detestationis peccati, vel universale, vel particulare, v. g. ob turpitudinem propriam peccati furti, aut fornicationis, quod quis confitetur. Dolor, seu detestatio ex hoc motivo non excludit voluntatem peccandi contra religionem per jumentum falsum, seu fractionem voti? rectè enim compatitur detestatio unius peccati ob specialem ejus dissonantiam, cum proposito committendi aliud diversæ speciei, ut videre est, in eo, qui peccatum sodomie detestatur ob specialem hujus vitii deformitatem, & tamen ad sceminam accedere proponit. Dolor igitur, seu detestatio ex speciali motivo non est sufficiens, neque ad valorem, neque ad effectum hujus Sacramenti; quia talis non est, ut voluntatem peccandi excludat. Si verò motivum doloris universale sit, v. g. grat. ob turpitudinem peccati, ut peccatum est, vel ut Dei offensam, vel ut inductivum pœnarum: talis dolor, seu detestatio ad omnia peccata extenditur, & voluntatem peccandi excludit: implicat enim offensam Dei efficaci odio habere, & simul velle, illum offendere. Hunc ergo dolorem, utpotè virtuale propositum includentem asserimus ex Tridentino, ad effectum Sacramenti sufficere.

6. Addo, ad ejus etiam valorem detestationem istam ita requiri, ut non sufficiat alia ex speciali motivo

tivo habita, nisi conjuncta sit cum formali proposito de cetero non peccandi mortaliter; quia attritio illa, quæ est pars hujus Sacramenti definitur à Tridentino: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*. Sed totum hoc neque implicitè reperitur, quando dolor, & detestatio ex motivo speciali procedunt; ergo in tali eventu deficiet Sacramenti valor, ni talis dolor cum proposito formali non peccandi mortaliter conjungatur. Adverto tamen contra Vazq. q. 92. art. 1. dub. 3. & contra Hurtad. disp. 6. diss. 5. non requiri attritionem, habentem motivum æternum, sed sufficere temporale, v. grat. ob meritum purgatorii, ut bene cum Lugo disp. 5. num. 137. tradit Leander disp. 7. quest. 13. Sicut sufficit ob meritum pœnæ in hac vita in vindictam à Deo infligendæ, ut diximus supra, quest. 4. cum pluribus ibi citatis, & tradit Suarez disp. 5. sect. 2. num. 13.

7. Ex dictis in hoc capite constat, non esse audientes recentiores quosdam, quibus accessit P. Gaspar Hurtado disp. 6. de Pœnit. diff. 7. (quamvis in fine dicat, contrarium esse securus, & persuadendum fidelibus) asserentes, ad valorem, & effectum hujus Sacramenti non requiri propositum, adhuc implicitum vitandi omnia mortalia, sed sufficere propositum non reincidendi in commissa, cum carentia propositi actualis peccati. Probant: quia propositum tantum debet esse correspondens dolori, in quo includitur. Verum si dolor non sit ex motivo universalis, est aperte falsum, ut constat ex dictis, & ita cum Ægidio, & Lugo tradit Leander hic disp. 7. quest. 28. & Palao tom. 4. de Pœnit. tract. 23. puncto 1. num. 16. & puncto 7. num. 6. & tenet Ochagavia apud Hurtadum supra, & credo esse commune Theologorum.

8. Fundamentum desumitur ex Trident. ex quo attritio ad Sacramentum requisita, talis esse debet, quæ ratione sui voluntatem peccandi excludat; dici autem non potest excludere, si secum compatitur voluntatem peccandi mortaliter in alia specie; quia absolute non excludit voluntatem peccandi, sed peccandi in tali specie. Probatur insuper ratione: quia ad valorem hujus Sacramenti requiritur, quod quis efficaciter tendat ad reconciliationem cum Deo: omnis enim amor efficax alicujus boni implicitè continet detestationem mali contrarii: ergo ad valorem, & effectum Sacramenti implicitè saltem requiritur propositum vitandi omnia mortalia. Patet consequentia: quia quodcumque mortale est malum oppositum cuilibet reconciliationi cum Deo: igitur non sufficit propositum vitandi commissa, cum defectu propositi actualis peccati; quia juxta hanc considerationem, non attritio, sed defectus propositi excluderet propositum peccandi.

9. Est tamen advertendum, rectè stare posse propositum requisitum ad valorem, & effectum Sacramenti, licet quis probabiliter timeat futurum, ut aliquando ratione suæ infirmitatis mortaliter delinquat. Ita Coninch de Pœnit. disp. 2. dub. 6. n. 39. Præpositum in 3. p. quest. 88. art. 1. dub. 6. num. 31. Cardin. de Lugo disp. 14. sect. 9. num. 137. dicens, esse communem Theologorum. Quam sequuntur Henriquez, Suarez, Navarr. & alii, quibus citatis assentitur Diana 3. p. tract. 4. ref. 117 & 5. p. tract. 14. ref. 66. Quod bene explicat Ripa tom. 2. de Ente supernatur. disp. 97. sect. 4. n. 62. quia dum talis est dolor, ut, eo retento, non possit admitti peccatum, verè excludit voluntatem peccandi, & consequenter pœnitens rectè dispositus accedit, licet credat peccaturum in iisdem circumstantiis, in quibus antea peccaverat, quia peccaturus ere-

ditur in sensu diviso detestationis præsentis, in quo judicio rectè stat præsens dispositio attritionis non in diviso, quod necessarium non est ad peccatum homini, quem prævidet relapsurum, prorsus falsum, imò & erroneum est.

10. Obiicit primo contra primam, & præpositam conclusionem, Concilium Tridentinum non tantum meminit detestationis, & doloris peccati, sed etiam propositi non peccandi de cetero: ergo, in tali eventu uterque actus formaliter, expresse necessarius est. Respondeo, Concilium solum intendere valorem, & effectum Sacramenti, non quicquam detestationem sufficere, sed illam, quæ cum proposito absoluto non peccandi de cetero conjuncta sit, ut ve propositum sit actus distinctus à detestatione, ut ve cum illa identificatus, seu virtualiter in ea inclusus: de hac enim actuum distinctione, seu identitate non egit, nec curavit Concilium: & quidem sane, nunc, sufficere virtuale propositum, idem in fine eodem capitis, non meminit propositi, sed solum attritionis excludentis voluntatem peccandi. Unde mente Concilii idem sonant verba illa: *Quod si propositum non peccandi, ac detestatio excludat voluntatem peccandi*. Existimo tamen, in eo, quæ agitur de vitandis peccatis in posterum, scilicet tempore propositum formale conjunctum esse cum detestatione, ut bene tradit Hurtado supra citatus, quia ex uno actu ad alterum communiter excurrunt volūtates, & quamvis physice unus sine altero operari possit, moraliter tamen raro contingit. Si tamen specialis studio, & industria vellet quis non eliceret mortale propositum, judicans virtutem sufficere, quod inclusam cognoscit in efficaci detestatione, aut, cur inde inferatur, neque propositum virtuale tribuere; nam si ex naturæ rei unus actus conneatur cum alio, uterque simul reperietur, si verò non conneatur, non potest ex unius defectu, alterius negatio inferri: ergo ex defectu propositi formalis, non habet deducit P. Suarez defectum doloris.

11. Obiicit secundo ex Lugo, si quis committit hoc peccatum: Si esset necessarium eligere penam inferni ad vitandum peccatum, ego potius peccarem, quam penam eligere. Propositum vitandi hoc peccatum est propositum eligendi infernum, potius quam peccatum, quia in illa hypothesi non aliter potest peccatum vitari, quam eligendo infernum; sed meretur inferni, seu voluntas illius fugiendi, non potest autem ad eligendum infernum: ergo neque ad propositum vitandi prædictum peccatum; ergo dolor etiam inferni conceptus, utpote qui non est ex motivo universalis ad omne peccatum, non est sufficiens ad valorem, & effectum hujus Sacramenti.

12. Respondeo, secundum præsentem prohibitionem, plañmet electionem inferni esse medium ad illud vitandum; ac proinde ex metu inferni bene potest quis proponere, prædictam electionem facere, & de peccato præterito dolere, sicut quisque, quod eligendo mortem, & se ad illam effundendo, vitare potest ex metu mortis illam eligere, & se occidendum offerre. Ita ergo contingit in eo, qui ex metu inferni imperat hunc actum, eligendo infernum potius quam offensam Dei. Si autem è contra quis ferat obligationem istam fore à Deo acceptandam, & ad vitandum infernum, prædicta obligatio non esset medium ad vitandum infernum, ac proinde de ex hujus metu eligi non posset. De facto autem ut dixi, hoc non contingit, ac proinde electio inferni

presentem providentiam, metus inferni est sufficiens motivum ad vitanda omnia mortalia, & ut tale proponitur nobis à Trident. videatur Lugo ubi supra.

QVÆSTIO XII.

An sufficiat propositum formale non peccandi de cætero absque detestatione formali peccati præteriti?

Diximus in præcedentibus, non requiri propositum formale, sed sufficere virtuale inclusum in detestatione peccati: modo verò contra inquirimus, an requiratur detestatio formalis, an sufficiat virtuale in formali proposito non peccandi inclusa? Ratio difficultandi sumitur ex Trident. sess. 14. cap. 4. ubi de attritione loquens, ait, *non solum vitæ novæ propositum, sed veteris etiam odium continere*. Difficultatem hanc apud aliquos exagitatam invenio; in eam incidit Card. de Lugo supra, cui duo responderi. Primum, propositum formale efficax, & absolutum non peccandi continere implicitè detestationem de peccato præterito; magis necessario includere propositum, quam contra; nam propositum formale non secum affert necessario detestationem implicitam peccati præteriti: potest enim voluntas præscindere peccata præterita à futuris; & complacere de præteritis vel saltem de illis non curare, proponendo firmiter omnia futura vitare, ad eum modum, quo senes proponunt castè vivere in futurum, licet eis non displiceat juventutis lascivia. Ego vero existimo, detestationem, & propositum in omnibus æquiparari; ac proinde titulo questionis affirmativè respondeo: sicut enim datur detestatio formalis, in qua, ut potè ex motivo universali, includitur virtuale propositum omnia lethalia vitandi, & datur detestatio, tale propositum non includens, eo quod ex motivo speciali procedat; ita similiter datur propositum formale vitandi omnia mortalia ex motivo universali ad omnia, tam præterita, quam futura, & in hoc proposito includitur virtualiter omnium mortalium detestatio: daturque propositum ex motivo speciali, in quo talis detestatio non continetur. Explico exemplo: Proponat quis castè vivere, ex turpitudine peccati contra castitatem motus; in hoc proposito non includitur adhuc virtualiter detestatio furti; sed solius luxurie; sicut in detestatione peccati luxurie ex prædicto motivo, non continetur propositum implicitum non furandi, sed non committendi luxuriam. Proponat vero quis in nulla specie peccare ex motivo vitandi infernum, vel ex odio peccati, ut est Dei offensæ; in hoc proposito continetur detestatio virtualis omnium mortalium; sicut è contra in detestatione formali ex eodem motivo, virtuale propositum vitandi omnia.

2. Ratione probò. Idèò detestatio ex motivo universali includit virtuale propositum non peccandi, quia talis detestatio nequit componi cum voluntate peccandi: ut ex Suarez, & aliis supra notavi. Sed propositum formale non peccandi ex motivo universali conceptum, non potest componi cum complacencia peccati præteriti: ergo includit virtuale detestationem illius. Confirmatur: idèò in

detestatione peccati præteriti includitur virtuale propositum vitandi futura, quia ratio odibilitatis peccati præteriti, reperitur etiam in futuris; sed ratio odibilitatis peccati futuri reperitur etiam in præteritis: ergo in proposito formali non peccandi de cætero ex motivo universali includitur detestatio virtualis peccati præteriti. Confirmatur secundo ex doctrina ipsius Card. de Lugo. Qui diligit Deum super omnia, & ex hoc motivo proponit servare mandata, eo ipso dicitur habere contritionem virtuales, quia in illo actu continetur implicitè peccati præteriti detestatio, quantumvis homo putet, se non offendisse Deum. Ergo, qui ex metu inferni concipit odium peccati, & proponit omnia vitare, eo quod ei peccatum displiceat, ut damnationis æternæ inductivum, eo ipso tale propositum, seu odium implicitum peccati præteriti detestationem continet: ergo, tam ad valorem, quam ad effectum Sacramenti, sufficit propositum formale non peccandi de cætero absque detestatione formali peccati præteriti. Hanc sententiam magna probabilitate defendi posse, inquit M. Victoria in Relect. de potest. Ecclesia num. 7. in fine, fol. mibi 40.

3. Ad auctoritatem Concilii respondeo, idem esse dicere, non solum vitæ novæ propositum, sed veteris peccati odium continere, ac dicere, esse detestationem peccati cum proposito non peccandi: idem enim in cursu ordinis verba ista significant: sed hæc intelliguntur à Doctoribus cap. præcedenti citatis de proposito implicito in detestatione formali incluso: ergo illa intelligi possunt de detestatione implicita in proposito formali inclusa: ergo ex verbis Concilii nil potest contra hanc sententiam inferri, quod æquè non militet contra quæst. præcedenti traditam. Concilium igitur tantum intendit, attritionem continere odium efficax veteris peccati, sive distinctum, sive indistinctum à proposito formali, de quo non curat. Dices, Concilium consulto addidisse particulam illam *non solum*, per quam videretur denotare, debere esse actus distinctos. Respondeo cum Lugo supra n. 56. in fine, non ad hoc additam fuisse, sed ad significandum, non qualecumque propositum vitæ novæ sufficere, sed absolutum, & efficax, quod cum detestatione veteris peccati conjunctum est, sive per identitatem, sive per actum diversum.

4. Ad exemplum senis proponentis castè vivere, respondeo, quod si ex odio turpitudinis peccati contra castitatem id proponat, jam implicitè detestatur luxuriam præteritam: si verò propositum aliunde oriatur; v. gr. ex metu amittendi salutem corporealem, eo quod jam ex corporis abusu vires debiles experiatur, non mirum, quod in vita præterita complacere, quia in tali casu, ratio odibilitatis luxurie futuræ non reperitur in luxuria vitæ præteritæ.

(*)